

*Domine Pedelle statuta prælege.*

Antequam autem vos prænobiles ac clarissimos Dominos Doctorandos ad Doctoratus juridici Gradum eveham, mearum adhuc est partium, ut more recepto quæstionem Inauguralem præsentī festivitati accomodatam prius resolverem, quæ talis est:

*In quantum inserviant Numismata ad probandas & illustrandas Academiarum Historias?*

Cum jussu Eminentissimi Principis nostri ad transcribendam ad posteros factæ ab Ipso Instaurationis & celebrati tertii Jubilæi Universitatis nostræ memoriam duo quoque cusa sint Numismata, non immerito hanc ordinationem paulo ante memoratæ quæstioni ansam dedisse, quivis facile animadvertet; Quod autem Historiæ tam sacræ, q) quam profanæ omnis generis r) ex Numismatis, quæ sunt monumenta publica rerum gestarum per Orbem transmissa nec facile peritura, non solum illustrari, sed & sæpius plene probari possint, alibi jam fusius deduxi; s) quod igitur & Historiæ Universitatum ex Numismatis, si talia prostant,

C 2                      quoad

q) Et quidem tam veteris, quam novi Testamenti, id quod multis exemplis demonstravi in *Diff. de Probatione per Numismata in sacris*: pari modo Historiæ Ecclesiarum particularium exinde sæpius capiunt suam lucem, prout patebit ex Dissertatione adhuc edenda *de Re numaria Episcoporum & Capitulorum Cathedralium in Germania*.

r) Nihil dicendo de Historia græca & Romana, novorum quoque Regnorum Historiæ veluti Germaniæ, Galliæ, Angliæ & Sueciæ &c. ex numis egregie illustrari possunt.

s) Cit. *Diff. De probatione per Numismata in sacris*.